postquam domi revertuntur, eadem vestimenta tamquam thesauros conservant et ad proelia euntes eis induuntur, credentes se nihil mali passuros. Aliqui pannos, tam de lino quam de lana emerunt, quos in aquam illam intingebant, ut in domum reportantes vestimenta ad placitum sibi ex eis fieri facerent, quibus induti fortuna clementius eos arrideret. Aliqui emerant Venetiis parvas campanas, quas ad Jordanem secum duxerunt, et in nomine Trinitatis eas in flumine baptizaverunt, easque in patriam suam duxerunt. Dicunt enim, quod instanti tempestate, tempore fulgurum, corruscationum et tonitruum, si campana in Jordane baptizata pulsata fuerit, nec fulmina nec grando nocere potest per totum spatium, in quo sonus ille audiri potest. Sed quid haec tam de campanis quam de vestimentis in Jordane baptizatis veritatis habeant, et an vulgi opinio, quae haec, quae dicta sunt, affirmat, vera sit vel superstitiosa, videat vir prudens.

Stabamus ergo in aqua cum jucunditate magna, et unus alterum baptizabat joco. Quamvis autem adhuc mane fuerit, aqua tamen frigida non erat, sed tepida, balneationi apta, de qua etiam ex devotione jejuni bibimus, licet non multum delectabilis esset, quia erat tepida et turbida, sicut palus.

Porro primam prohibitionem Sarracenorum transgressi sunt peregrini et transnataverunt ad aliam partem fluminis multi. In prima mea peregrinatione transnatavi etiam, sed in secunda mansi et sedi in tunicilla et scapulari in sabulo in aqua usque ad collum. Nolui enim in secunda peregrinatione transnatare, quia in prima magno timore fui in alia parte fluminis existens perterritus propter illum casum. Cum ergo cum multis aliis militibus transnatassemus, et in alia parte jocunde in aqua luderemus, ecce subito ingens clamor et grandis ac gravis tumultus ortus est, et lamentabiles voces dabant illi, qui in opposito littore erant. Sed et Sarraceni, ductores nostri et alii, currebant super alveum, et horribilibus ac iracundis gestibus contra nos clamabant et nobis minabantur et maledicebant. Stabamus ad haec attoniti, et prae multitudine clamantium, quid accidisset, non poteramus discernere, donec quidam peregrinus de alia parte ad nos transnatabat, et cum jam prope nos esset, clamavit, heu, heu, inquit, unus peregrinus

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;